

e lib. 7. c. 15.

tia, ut compotationis præludium bibeant, & ex  
vini partibus quatuor & vna mellis conficieban-  
tur, ut apud Æginetam e habetur. Nihilominus  
tamen eodem autore ex scammonio, aut grano  
cnidio, aut huiusmodi purgatoriis parabantur,  
aut etiam pro ratione affectuum medicamenta  
iniebantur, cuius modi plura Myrcipus proponit,  
& inter cetera ad ventrē subducendum ex po-  
lypodio, habet etiam ex asaro, senna & epithy-  
mo. Ad horum imitationem solemus vina purgā-  
tia conficere. Nam cum Medicus ægroti moribus  
nonnunquam se accommodare debeat, & Ger-  
manorum plerique à medicamentorum usu fre-  
quenti abhorreant, sicque humores vel iulepis vel  
decoctis ex artis præscripto præparare non lice-  
at, alia forma ipsis gratior & scopo conueniens  
inuenienda fuit. Quare cum vinum naturæ ami-  
cum, & apud Germanos vinum absynthites in  
quotidiano pene viu sit, & vinum ex medica-  
mentis infusis vires facile eliciat, ac præpropere in  
singulas & abditissimas corporis partes velut op-  
timum medicinæ vehiculum diffundat (cuius no-  
mine Dioscorides de vino inter medicamenta,  
non alimenta egit) hanc ob causam eiusmodi  
vinis absynthio addito, quibus & humores præ-  
parare, eosdem que expurgare possumus, frequen-  
ter utimur.

Duplicia ergo sunt vina medicata: Quædam e-  
nim solum alterant, quædam vero humores præ-  
parant, eosque sensim expurgant. Quæ alterant,  
vel prima qualitate vel secunda id præstant: Pri-  
ma, ut calefaciendo, refrigerando &c: & quidem  
vel